





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

DIFFERENTI MEDICA-  
MENTORVM OPERATIONE SE-  
CVNDVM DIVERSAM CORPORIS  
HVMANI IDIOSYN-  
CRASIAM

QVAM  
AVSPICIIS DIVINIS

PRÆSIDE  
DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ORDINIS MEDICI SENIORE & h. r.  
DECANO

PRO DOCTORIS GRADV


*Al. d. Jun. Anno MDCCXXXI.*

PVPLICE AD DISCEPTANDVM PROPONET

AVCTOR RESPONSVRVVS

VLRICVS SIGISMVNDVS NIMPTSCH

VRAT. SILES.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA

DE

DIFFERENTI MEDICAE  
MENTORVM OPERATORVM SE  
CUNDVM DIVERSAM CORPORIS  
HVMANI PARTIEM  
GRASIAN

AVSTRICIS DIVINIS

PRÆSIDE

DR. FRIDERICO HOFFMANNO

ORDINIS MICHIELSENORUM & LIB.

DECANO

PRO DOCTORIS GRADU

EXPLICE AD DISCRETAM REPERTURAM

AVCTOR RESPONSURVS

VLICVS SCHEWINDVS NIMTSCH

VIA STIAS

1775

IN VINDOBONA

MDCCCLXXV




Q. D. B. V.

§. I.

**V**ires medicamentorum scire & explorare, inter præcipua docti & periti medici pertinet officia, hæc autem scientia præter judiciose instituta experimenta physico-mechanica & propriam experientiam, nullo ex alio melius est comparanda fonte, quam ex observationibus magna longaque diligentia accurate notatis. Si vero præcticos celeberrimorum medicorum libros evolvimus, atque observationes de medicaminum effectibus examinamus, quem proh Deum immortalem! non invenimus dissentium cum quosdam certum remedium in morbis ad coelum usque extollere, alios contra idem illud maxime vituperare sæpenumero animadvertatur, & præterea quilibet horum dissentientium nihilominus ad experientiam tanquam ad anchoram sacram confugiat. Verum multos culpandos esse Practicos ideo existimaverim, cum fallaci & temeraria sæpius experientia, annotati fausti vel infauti a medicamento dato effectus causam, nullo habi-

A 2

1773.10.06 10



to ad individua & causas concurrentes respectu, mox ipsi remedio tanquam causæ adæquatæ adscripserint. Quem frequentem medicorum errorem bene quoque observavit BAGLIVVS L. 1. *prax. c. 5. §. 1. & 8.* ubi ita ait: *multi siquidem ob faustos eventus semel vel bis observatos ex aliquo remedio, vel potius ob innatam quandam proclivitatem tum laudandi, tum fingenti adlubitum medicamentorum vires, ita erga remedium aliquod afficiuntur, ut putent, illud unum ad curandos quosque morbos summam vim ac veluti imperium obtinere. Sed progressu temporis re melius perfecta, illud particulare & instabile, non vero commune ac perpetuum fuisse, animadverterunt.* Hæc igitur cum ita sint, eo omnium maxime allaborandum est, ne temerariis ejusmodi observationibus, temerariam facile demus fidem, sed ut omnia prius accurate examinemus, & veras tam differentis medicaminum operationis causas solerti indagemus studio.

#### §. II.

Ast cum experientia quotidiana, me tacente, cuilibet luculentissimis demonstret exemplis, medicamenta hoc corpus non eadem semper ratione quam alterum afficere, nunc modo ante omnia quæstio oritur, quæ sit differentis medicaminum operationis causa? Necessarium est, ut aut in medicamento, quod agit in corpus humanum, aut in corpore humano, lateat fundamentum. Medicamentorum naturam & vires si penitus scrutamur, admodum bene cognoscimus vim agendi ipsorum esse \* physico-mechanicam, nec itaque sine evidenti fictione facultatem diversimode agendi

\* Hoc uberius Illustris PRÆSES in diss. anno 1718. Halæ habita de modo operandi remediorum physico-mechanico demonstravit.

agendi medicamenti adscribi posse, nisi corpus humanum pure passivum esse, falso præsupponeremus, atque Archæum sive alium spiritum secundum ideas agentem in naturam medicamentorum intrudere vellemus. Primo autem corpus nostrum machina est, quæ sine motu & activitate non concipi potest; secundo arguentis solidissimis, & omnium primo quidem ab Illustri PRÆSIDE, & postea per Illustræm LEIBNITIVM, consentientibus id aliis celeberrimis Viris dudum demonstratum fuit, nullum corpus pure esse passivum, sed activum, nimirum quod vis movens nitens & renitens omni corpori innata sit & essentialiter inhæreat, sequitur abhinc & corpori humano propriam inesse activitatem. Archæi dudum ex orbe relegati, aut alius spiritus in omnibus corporibus existentia nunquam demonstrari potest, quamvis nonnulli maximi nominis Viri id irritò conatu ausi fuerint. Cum igitur ex modo medicamentorum in corpus humanum agendi physico-mechanico, differens ipsorum operatio non deduci possit, neque insuper principium secundum ideas agens in natura medicaminum existat, neque corpus humanum per se pure passivum sit luce clarius patet, causam diversæ operationis non ex natura pharmacorum solum sed ex alio insuper fonte esse petendam.

§. III.

Si itaque variantium ab applicatis remediis effectuum causa, non in natura medicamentorum inveniri potest, ut illud ipsum in alio subjecto quæramus, noster labor esto. Nullum vero aliud subjectum notum est, in quo hæc causa existere possit, quam corpus humanum, in quod agunt medicamenta, & in quo differens ipsorum observatur operatio. Quemadmodum vero unius effectus plures possunt esse causæ, ita & in corpore humano variæ deprehenduntur,

tur, quæ maxime medicamentorum operationem modificare possunt. Superfedeo hic eas omnes ordine longo recensere, sed IDIOSYNCRASIAM saltem paulo accuratius considerare mecum constitui, quomodo scilicet ipsa, & pro diversitate ipsius in individuis occurrente, diversam efficere possit remediorum operationem. Nemo autem a me expectet, omnes hæc in dissertatione me adduxisse medicaminum operationes, quas per Idiosyncrasia viros diversimode mutatas attentiones observarunt, cum alias magnum conscribere necesse habuissem Volumen, sed nostrum institutum saltem eo directum est, ut demonstrem, Idiosyncrasiam ea pollere facultate, pro ipsius diversitate differentem remediorum edendi effectum.

§. IV.


Verum nunc ante omnia demonstratione opus est, cur nimirum Idiosyncrasia pro causa differentis medicamentorum operationis sit agnoscenda. Canon Philosophorum est: Causæ non tantum ratione activitatis, sed etiam receptivitatis operantur; sive ex activa rei virtute & reactione corporis, quod recipit actionem, demum certus producit effectus. Et quemadmodum in toto universo, ita & in corpore humano sive sano sive male affecto omnes effectus & operationes non nisi motu fiunt; ex physicis vero & mechanicis notum, non in uno & simplici corpore motum existere, sed demum ex duorum congressu & reactione emergere, ipsamque vim motricem unius corporis ab alterius reagentis mirifice modificari, adeoque de nullo etiam medicamento in se considerato, certus quidam effectus salutaris vel minus talis prædicari potest, licet eidem vis quædam ad exerendam actionem insit. Ex quo igitur consequitur nullum medicamentum absolutæ esse virtutis, efficaciamque Medicamenti non solum a se ipso, sed



sed potissimum a corpore, quomodo nempe hoc recipit actionem medicaminum, & in hanc reagit, dependere. Pro reactione igitur corporis humani in medicamenta, diversa resultat operatio. Reactio autem corporis cum a natura solidorum & fluidorum utrorumque motu dependeat, atque solida & fluida in corporibus maxime differant, quæ naturalis corporum differentia Idiosyncrasia a nobis appellatur, non ulterius obscurum erit, euj quoque differens medicamenti diversis natura individuis oblata observetur operatio.

§. V.

Veram Idiosyncrasia dare definitionem; difficilis admodum labor erit, præcipue cum multi adhuc Idiosyncrasia effectus maxime obscuri sint, & a perspicacissimi ingenii viris solide explicari haut possint. Galenus & cum eo plurimi Idiosyncrasiam definiunt, quod sit cujuslibet hominis peculiaris temperatura. Terminus temperaturæ autem, cum non accuratum ex ipsa corporis humani natura subinistret conceptum, & præterea veteres eodem sub temperaturæ termino certas saltem humorum in corpore humano existentium intellexerint qualitates, nostris vero temporibus a præstantissimis Medicis in saniori Physiologia, quæ solidis physico-mechanicis fundamentis superstructa est, evictum sit, a solidorum structuræ diversitate, diversitatis operationum in omnibus corporis humani functionibus causam esse repetendam, ut & crasis sanguinis atque humorum, horumque motum in circulum abeuntem; unde se- & excretiones, a solidorum horum constitutione & actione in hæc ipsa fluida, potissimum dependere; mallem Idiosyncrasiam dicere; naturalem & multis individuis particularem corporis humani imprimis vero partium solidarum, generisque nervosi constitutionem, ad certos



certos atque insolitos sæpe motus & effectus edendos aptam. At quod attinet differentem medicamentorum operationem, per illam equidem intellectam volo tam fortio- rem & debilio- rem, quam citatio- rem & tardio- rem, imò alias prorsus insolitam; interea illud hoc loco maximo pe- re monitum cupio atque urgeo, quod adhibitæ summo studio observationes symptomatum & concomitantium & subsequen- tium, quæ post usum Pharmacorum ex diversa Idiosyncrasia unice resultant, ad intime cognoscendam hancce differentiam omne fere absolvant punctum.

§. VI.

Poscit nunc tractationis nostræ ratio, ut videamus & exploremus, quæ in diversis individuis observetur Idiosyn- crasia, in quo consistat, & quomodo hæc tam diversimode modificare possit medicaminum operationes. Ubi pri- mum eminentiores, frequentiores, & quæ pluribus simul conveniunt Idiosyncrasia spe ies examinare consilii erit, antequam ad particulares Idiosyncrasia effectus nos con- vertimus, quorum multi adhuc fere nodi gordii medico- rum merito dici merentur. Veniat igitur omnium primo nostrum sub examen robur atque imbecillitas, præcipua illa corporum humanorum qua inter se differunt, proprie- tas. Quod illi homines, qui strictiori corporis habitu, majoribus nervis, tendinibus & vasis gaudent, robusti, om- nesque in illis functiones vegetæ deprehendantur, ideo- que constantiori fruuntur sanitate, & non adeo facile affi- ciantur lædanturque, illi vero qui spongiosiore constitu- tionem, minores nervos & vasa sanguifera & quidem co- pio- sa habent, in omnibus functionibus languore, & verbo imbecillitate laborent, eamque ob causam ad motus ano- malos data levi occasione maxime proclives sint, experi- entia pro me loquitur. His igitur ita constitutis, facili per-

perficij potest negotio, cur idem dosi pharmacum, valide vel leniter alvum aut vomitum moveat, & materia noxia in quibusdam corporibus e.g. Rusticis, nil quicquam moveat, sive perturbet, in aliis vero ingentes turbas faciat. Vulgare & frequentissimum hoc est, ubi manifeste videmus causam diversæ medicamentorum operationis non in medicamento, sed in differenti corporum robore atque imbecillitate sitam esse. Quare & suo tempore jam venerabilis medicorum Parens HIPPOCRATES *Lib. de locis in homine, hæc bene observans inculcat: medicamentum singulis secundum naturam, debilibus debilia, fortibus vero fortis naturæ pharmaca exhibenda sunt; ut & CELSVS: Imbecillibus hominibus rebus infirmis opus est, mediocriter firmos media materia optime sustinet, & robustis apta validissima est.* Nec mirum inde videre potest, cur hanc ob notabilem corporum differentiam medicamen aliquod fortius sæpius huic ægroto oblatum insigne afferat levamen, in alio vero subjecto nullum, in quo haud raro potius symptomata morbi exasperat. Namque ad omnes salutares in corpore humano perficiendos effectus, exquisita inter agentis & reagentis vires requiritur æquabilitas atque proportio, & natura humana, ut ex vero dicit Hippocrates, ab omni excessiva qualitate læditur; id quod imprimis in imbecillibus observatur. Quare illi non leviter in leges artis inpingunt, qui hancce corporum differentiam haud attendentes, natura debilibus heroica remedia porrigunt, quippe quæ vires eorum opprimunt, & penitus sæpe prosternunt. Idem esset error si robusto nimis debilia offerre vellem remedia, ubi quidem materia, quæ in vitio est, & quam evacuare volo, iisdem commoveri, non vero e corpore proscribi, malumque ideo exacerbari potest. Et cum ad salutarem medicamentorum effectum

B

appri-




apprime pertineat, ut hunc ipsum morbi symptomatumque mitigatio sequatur, in quem unicum etiam finem ægrotis medicamina porriguntur, ita quamvis acrius e. g. purgans in debili subjecto per copiosum, alvi secessum, sicuti in robusto suam operationem felicissime exferere videatur, tristes vero concomitantia & consequentia satis superque testantur operationis differentiam. Possent dicta a me optimis illustrare exemplis, cum copiosa in medicorum scriptis prostant, sed quia hæc Idiosyncrasia species, aliis quoque naturalibus corporis constitutionibus juncta est, ne hic præter necessitatem nimis longi videamur benevolam lectorem illuc remissum cupimus.

§. VII.

Accedimus ad ætates, & quemadmodum hæ ipsæ in pathologicis haut immerito magnæ sunt considerationis, & præterea mirum in modum remediorum operationem variam causantur, eorumque selectissimorum etiam vim infringunt, imo creberrime prorsus eludunt, ita non sine ratione me facere arbitror, si & illas paulo accuratius considerare operam impendam. Galenus ejusque sectatores causam quidem mutationum corporis per ætates in certis humorum qualitatibus quæsiwere, sed falso, quare hodie ex autopsia corporis humani & experientia rectius in foro medico per ætates, eminentes partium quidem omnium sed præcipue solidarum, quæ certis temporibus accidunt, intelliguntur mutationes, annique quavis septimi, ubi plurimum hæ ipsæ mutationes in corpore se manifestant, secundum etiam veteres dicuntur climacterici. Nam procedente ætate & quolibet septenario peculiarem & novam quasi partium solidarum fieri texturem & constitutionem, fluidorum ipsiusque sanguinis crasin atque temperiem, adeoque & motum humorum multum immutari, quotidiana


na



na docemur experientia. In pueritia nempe insignis fibrarum mollities, remissio, laxus & rarus habitus, cum feri abundantia adest, juvenes autem fibras strictas & tensas obtinent, sanguinemque calidiorem & mobiliorem alunt, senibus denique propria est magna solidorum rigiditas, & viarum atque canalium angustia, nec non falso - sulphurea humorum dyscrasia.

## §. VIII.

Cum igitur diversis ætatibus, diversa sit partium corporis humani conditio, non mirandum erit, differentem medicamentorum in praxi clinica experiri efficaciam. Etenim non aliter fieri potest, quam ut pro diversa partium & per consequens motuum microcosmicorum indole variet quoque receptio actionis remediorum, & in ea reactio. Sic e.g. constat infantibus oleis anethi, liliorum alb. &c. interne assumtis & etiam abdomini saltem illinitis optime alvum solvi posse, quæ operatio in adultioribus subiectis ob strictiorem corporis habitum haut obtineri potest. Quare pro hac ipsa corporis per ætates varietate, varia & accommodata methodus medendi excogitanda est & adhibenda; omnibus ætatibus enim non eadem convenire auxilia, quippe quæ ab illis mire modificari possunt, ratio suadet, experientiaque luculenter confirmat. Quamlibet insuper ætatem ex natura ipsius suos proprios alere morbos certum est, quos & suo jam tempore HIPPOCRATES satis descripsit *sect. III. aph. 24 - 31*. Et hi morbi optime commonstrare poterunt, quæ naturali corporis per ætates conditioni infit facultas infringendi medicaminum vires alias se exerentes. Copiosæ enim Autorum observationes proh dolor! satis superque testantur, plurimos certæ ætati proprios morbos ita esse pertinaces & inexpugnabiles, ut optimis & iisdem alias morbis longo usu probatissimi.



batissimis nihilominus non cedant remediis, minimum admodum raro veram admittant curationem, ut tinea capitis, epilepsia memoriæ debilitas, convulsivi artuum Imotus, insania, mania, in sequiori sexu defectus fluxus menstrui justo tempore non erumpentis, passionesque hystericae, in senio confectis scorbutus, calculus, arthritis, podagra nodosa, dysuria &c. Et nisi alio accedente ætatis periodo multi horum morborum ex mutata corporis natura sponte sanentur, miserior sane adhuc esset hominum calamitas. Vehementer autem dolendum, quod nec hocce naturæ beneficium semper præsto sit, ubi demum eo minus salutis & convalescentiæ spes per medicamenta expectanda est. Confirmat id HIPPOCRATES *sect. III. aph. 28.* dum ait: *Quicumque pueriles morbi perdurant nec desinunt, quum ex ephelis egressi sunt, aut femina, quum menstruales esse inceperunt, consensescere consueverunt.* Nec non testimonio esse potest CELSI sententia *L. II. c. II.* dicentis: *si que genera morborum in infantem inciderunt, ac neque pubertate neque primis coitibus, neque in femina primis mensuribus finita sunt, fere longa sunt.* Neminem interea, qui de rebus medicis cum ratione iudicat ideo concludere puto, acsi hoc vel illud remedium, quoniam in eiusmodi difficultibus ætatum morbis non deprædicatum edit effectum, in eiusmodi generis morbis debellandis, si ab aliis causis hi ipsi alia infestant individua, nullius sit usus & præstantiæ, cum semper in praxi eo respiciendum, an causæ quæ morbos efficiunt sint mobiles, & an ad has feliciter eradicandas vires medicamentorum sufficiant.

§. IX.

Hæreditariæ dispositiones, ab illa corporis humani Idiotyncrasia quæ ex ætatibus resultat, non multum recedunt, eas enim insigni pollere facultate medicaminum effecta

fecta varie mutandi ex eo colligere licet, cum præstantiam optimorum etiam remediorum non raro dubiam faciunt, adeo ut illas hic nostro subicere examini omnino operæ pretium sit. Crebriori observatu in comperto est firmos & robustos corpore ac animo parentes, valentes ac sanos imbecilles contra, valetudinarios e. g. phthificos, hypochondriacos, calculosos, podagricos, epilepticos, melancholicos, quin haut raro hydropicos & cachecticos, senes quoque & ebrios, debiles teneros ad eosdem morbos proclives iisdemque plerumque obnoxios gignere infantes. Refert copiosa ejusmodi exempla ex Autoribus medicis fide dignis *Illustris PRÆSES* in *diff. de affectibus hæreditariis*, illorumque origine Anno 1699. Halæ habita, quæ hic quoque fufus allegare, non necessarium duco. Verum quod hæreditaria ejusmodi labes, si invalescit, & in morbum erumpit apertum, ut ab omni ævi celeberrimis, ita & hodiernis practicis uno ore consentientibus, maxime difficilis sit curatu, & ægre admodum sanationem admittat, facillime recrudescat, & plurimum negotii Medicis faciat, optime testatur RODERICVS a CASTRO in *Med. Polit.* qui *L. III. c. 18.* inquit. Incurabiles sunt plerique omnes morbi hæreditarii & congeniti, ut cæcitas nativa, surditas, gibbositas, aut congenita fatuitas, quæ nulla omnino arte curari possunt, & multo minus defectus originalis membrorum, item elephantiasis ex utero contracta, calculosa & podagrica dispositio, quæ etsi aliquando summa cura & victus accuratissima observatione nonnihil sublevari queant, nunquam tamen proclivitas ad hæc mala ita eximitur, quin levissimo errato commisso redeant. Cum igitur hæreditaria illa corporis humani vitia tam pernicis ab omni memoria observata sint indolis, ut selectissima & prudenter exhibita remedia raro ex voto, sed cre-

brius nihil profus juvenet, uti frequentissima Practicorum querela testimonio sunt, non immerito genuina congenitorum ejusmodi malorum consideranda est causa. Et haec dum in vitiata staminum, fibrarum, vaforumque, e quibus corpus coagmentatum est, structura & illorum nimia sive laxitate, sive strictura atque tensione, ac horum nimia vel amplitudine vel angustia ab ipsis parentibus connata, quaerenda est, non ulterius quae hucusque protulimus obscura esse poterunt; difficillimum enim esse cujusdam partis conformationem aliam facere & immutare, ratio agnoscit, & experientia confirmat. Ex his itaque allatis luculenter apparet actionem optimorum etiam medicaminum in corpus nihil juvare, salutaremque non edere posse effectum nisi adsit in corpore dispositio, quae actionem illam debite recipere valet.

§. X.

Temperamentorum ut quoque hic injiciamus mentionem, quorum inter medicos magna semper habita fuit consideratio, admodum consultum erit, quippe illa ad varietatem corporis humani, tam in ipsis partibus solidis & fluidis, quam in motibus vitalibus animalibus & naturalibus magnum conferunt momentum. Et cum nostra sit sententia a reactione corporis maxime dependere remedium effectum, quilibet perspiciet merito temperamenta nostra in tractatione suam invenire locum. Nos equidem non latet, multos existimasse medicos, frustraneo conatu temperamenta in forum medicum fuisse introducta, cum re ipsa non existerent. Nec male hancce aluerunt opinionem, si nimirum temperamenta sensu veterum sumuntur, & inter illos praecipue inventor Galeni, qui ea ex certis humorum deduxit qualitatibus. Interea quia experientia nos docente nihilominus in confesso est, observari eminentiones



tiōres quasdam subjectorum differentias, quæ sūm quoque in corpore humano habent fundamentum, ne præter necessitatem Terminologia medica augetur, non adeo male terminus hic temperamentorum nomine veniens reterentus fuit, modo quod naturam individuorum ejusque diversitatem accuratiori studio scrutantes, & ab antiquorum sententia in multis prorsus inani recedentes, temperamenta ex evidentioribus & revera in natura humana existentibus causis deducant, eaque in verum praxeos usum explicant. Nolo autem nec differentias temperamentorum, nec veras eorum proprietates jamjam fusius ex brevitatis studio recensere, cum cuilibet artis medicæ addicto eas ex præstantissimis celeberrimorum medicorum scriptis optime perspectas esse, præsupponam.

## §. XI.

Facultates temperamentorum varie operationem remedium modificandi, ex natura & pro diversitate illorum me non adeo difficulter demonstrare posse confido. Etenim si considero in sanguineis & cholericis, sanguinem solummodo illum calidum, atque activæ indolis, motu solidorum admodum vegeto in circulum abeuntem, in phlegmaticis contra humores serosos & impuriore, laxiorem solidorum habitum, motusque languidiore, & denique in melancholicis majorem fibrarum densitatem & rigiditatem, unde circuitus sanguinis difficilior & tardior resultat, ratio dicitur, dissidentem ejusmodi & variam solidorum ad fluida, & fluidorum ad solida habitudinem ad medicamentorum aliam atque aliam operationem plurimum valere. Sic e. g. validius purgans pituitosum sive phlegmaticum subjectum, debilius vero quod bile laborat, aut cholericum requirit. Quo autem majus a me dicta accipiant robar, e re erit allegare exemplum quoddam ex *Illu-*

*stris*




*stris* PRÆSIDIS T. IV. *med. rat. syst.* ubi in prima morborum enarratione, cholericus cujusdam Viri febre tertiana laborantis meminit, qui cum a medico in auxilium vocato non aliis quam salinis medicamentis liberali manu & repetitis dosibus exciperetur, nullum, his quantumvis diu usurpatis, sensit leyamen sed potius gravioribus magis magisque incrementibus misere affligebatur symptomatibus. Salia quam præstantis alias in intermittentibus sint virtutis notissimum est, illam vero per salia medendi methodum hoc in ægro tam malum habuisse successum, secundum etiam *Illustris* PRÆSIDIS additam epicrasin, ratio a cholericæ corporis constitutione, aliis non exclusis circumstantiis deducenda est. Namque alia sepositis omnibus salinis methodo medendi *Illustris* PRÆSIDIS, cui postea committetur hic ægrotus, afflicta has partes mulcente, spasinos complacante, & febriles demum motus diu jam corpori in hærentes sistente atque comescente, non solum symptomata omnia mox mitigata fuerunt, sed & febris fugata nunquam rediit. Addatur *Observatio IX. sect. 1. c. 1.* jam citati libri, ubi aliud adhuc refert *Illustris* PRÆSES exemplum, quod huc maxime spectat, cum luculenter ostendat, quæ temperamenti in sit facultas mutandi medicaminum operationes. Optandum itaque esset ut omnes medicinam exercentes temperamentorum rationem curæ cordique haberent, & tandem cognoscerent morbos non semper una medendi methodo esse excipiendos. Verissimum enim manet, & nunc citata exempla luce clarius illustrant effatum HIPPOCRATIS qui libro de arte §. 7. ita ait: *quæ profuerunt ob rectum usum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id quod non recte usurpata fuerunt, nocuerunt.*

§. XII.

Præterea exacte ratio habenda est sexus, qui non raro etiam

etiam multum confert, ut solitus & desideratus medicamentorum haud obtineatur effectus. Etenim systema nervorum in feminis admodum imbecille & sensile est, ut abhinc non mirum sit, si ipsæ motibus spasticis & convulsivis vehementius & levi de causa afficiantur, quam virilis sexus, ubi majus ut plurimum adest robur, atque motus constantiores non adeo facile in anomalos abeuntes præsto sunt. Cui enim ignotum est feminas ex Idiosyncrasia quadam, i. e. ex congenita ipsis nimia generis nervosi sensibilitate ad passiones hystericas maxime inclinare, & illis levi saltem facta partium nervosarum irritatione misere affligi; id quod curioso exemplo, quod ap. PANAROLVM *Pentec. III. obs. 17. p. 76.* existat, confirmare potest femina, quæ pudenda aqua fl. aurantiorum abluens hysterica correpta fuit passione. SYDENHAMIUS itaque *Diff. epist. p. 515.* non male agit, dum serio animadvertendum esse monet, nonnullas feminas idiosyncrasia quadam ab hysterica illis medicamentis (quæ plerisque hujus morbi symptomatibus levamen adferunt & solatium) ita penitus abhorre, ut non solum non juventur, sed etiam insigniter ab eorum usu ledantur. Crebriori enim constat observatione, feminas ex odore e. g. Ambræ, Moschi &c. ob particulas nimis subtiles, membranæ se insinuant, fluidumque nerveum in motus anomalos cientes in hysterica non sine periculo incidisse symptomata. Verum insignem ejusmodi sequioris sexus Idiosyncrasiam, non solum quoad hysterica, sed quoad multa etiam alia remedia notam esse testis est jam allegatus SYDENHAMIUS, qui c. l. refert: *feminas nonnullas variolis laborantes syrupi e meconio usum ferre non posse, utpote a quo vertigines, vomituritiones, & id genus symptomata ad affectus hystericos pertinentia accersantur, quibus tamen laudamum liquidum opprime conveniat;*

C




*veniat*; additque exemplum nobilis adolescentulæ ubi ipse hæc omnia observavit. Vidimus hucusque quam mirifice variata medicamentorum operatio ex imbecillitate & sensibilitate feminis quasi propria resultare possit, nunc saltem restat paucissimis adhuc considerare, illum sequioris sexus statum, quem menstruus sanguinis fluxus caufatur. Perpetua constat experientia inordinate succedentem fluxum mensium (cujus causa haut raro in labefactato a natura uteri vasorumque tono latet, qui tanquam Idiosyncrasia quædam huc spectat) multa eademque atrocita excicare mala, quæ multum laboris medico faceffunt, quoniam optima quoque adhibita medendi methodus, turbatam exinde corporis œconomiam difficillime in ordinem redigere potest. Quid enim emmenagoga & roborantia medicamina in ejusmodi uteri affectibus valeant, copiosæ Autorum docent observationes, ex quibus satis superque discimus, quam varie modificari soleant pharmacorum operationes, & eorum vires infringi. Nec rara sunt exempla emmenagoga remedia alias non contemnenda, martialia &c. ob improvidum paulo eorum usum, multa periculi plena produxisse symptomata, ut sæpenumero vehementes in nobilioribus locis hæmorrhagiæ, magnæ congestiones sanguinis, stases eiusdem, inflammationes, obstructions pertinaciores, indurationes viscerum, tumoresque pedum œdematosi, imo hydropis species, ortum suum traxerint. Ex quibus vero dictis luculenter apparere arbitror, sexus considerationem a medicis utique magni habendam esse, imprimis dum perspeximus, differentem admodum exinde medicamentorum dependere operationem, & non probe observata sequioris sexus Idiosyncrasia ægras per innocens remedium in discrimen vitæ conjici posse.

§. XIII.

§. XIII.

Restat adhuc alia Idiosyncrasia species ratione affectum animi, ad quos multi homines precipue vero sensibilibioris & imbecillioris naturæ ab incunabilis ita proclives sunt, ut hi ipsi affectus in ipsis levissima data occasione non sine damno excitentur. Experientia crebriori constat, pathemata animi sanguinis circulum, & ab eo dependentes partium functiones vehementer celeriter & diversimode perturbare posse, ut in gravi ira & terrore maxime conspicuum est. Quam etiam ob rem Pathologi hodierni in arte exercitatissimi non immerito ab antiquorum sententia abierunt, qui animi commotiones inter causas morborum remotiores referunt, cum affectus animi celerrimæ sint activitatis, & jure maximo immateriales causæ, quæ motus morbosos proxime efficiunt, appellari possint. Nolo hic truculenta illa præter necessitatem multis recensere symptomata, quæ affectus sequi solent, nec pathematum animi in corpus agendi modum sollicite adeo explicare, sed potius me eo convertere consilii erit, ut licet paucissimis demonstrarem, eam pathematum animi esse facultatem in corpus agendi, ut exinde etiam diversi medicaminum resultent effectus. Emetica enim & purgantia paulo fortiora nec non aquam frigidam in subjectis ab ira commotis non medicamentorum sed venenorum instar operari, & lethalia non raro inducere symptomata multa Autorum testantur observationes, videaturque imprimis *Illustris PRÆSIDIS* Diss. de Medicina emetica & purgante post iram veneno anno 1721. Halæ habita. Terrorem atque mororem singulari pariter polleere efficacia microcosmicos turbandi motus, & his mediantibus effecta medicaminum diversimode modificandi imo ipsorum vim insitam non raro augendi atque infringendi, crebriori id confirmante



experientia non adeo difficulter commonstrari posset, cum  
 autem mihi properandum sit ad examinandos particularis  
 Idiosyncrasia effectus, nolo ulterius huic tractationi infi-  
 stere, sed coronidis loco practica saltem monita allegare  
 ex TVLPPIO *Lib. IV. c. 49.* ita dicentis: *convenit egros se-  
 curos agere, ut corpore tantum non etiam animo laborent,  
 & si quae sunt quae ipsorum animos exasperatura sint, opti-  
 mum est dum aegrotant ea ipsorum notitia subtrahere, & ex  
 BAGLIVO in prax. med. p. 133. cujus verba ita sonant:  
 anima quamdiu in perturbatione est, remedia nequicquam  
 proficient, & licet ea quis recipiat, viribus tamen non au-  
 scultatur natura.* Tandem & phantasia quae naturali  
 eademque insigni ad immutandas actiones naturales & per  
 consequens etiam ad varianda medicamentorum effecta,  
 potentia in multis subjectis gaudet, ut curiosa hinc inde  
 eademque mirabilia in Autoribus existent exempla, nec  
 illas Idiosyncrasias, quae ratione functionum eveniunt, cum  
 in quibusdam individuis functiones auctas in aliis imminutas,  
 in aliis iterum depravatas observaverint Practici, unde etiam  
 diversae medicamentorum operationes resultare solent, no-  
 strum vocare sub examen consultum esset, nisi nimiam  
 materiae ubertatem non mihi, me tamen illi defuturum lu-  
 bens confiteri necesse haberem.

§. XIV.

Examinatis igitur eminentioribus & quae pluribus si-  
 mul conveniunt individuis Idiosyncrasia speciebus, nunc  
 merito ad peculiare illos & certis saltem subjectis prop-  
 rios Idiosyncrasia effectus me convertito, qui summe diffe-  
 rentes inconsuetas mirabilesque medicaminum nobis fi-  
 sunt operationes, & Autorum observatorumque medico-  
 rum studio & fide memoriae prodita sunt. Namque om-  
 nia alia Idiosyncrasia singularis exempla, quorum ingens  
 ubi.


ubique habetur farrago & quæ curiosa lectoremque sum-  
mopere delectare possunt, ad me non pertinent, sed saltem  
illa quæ luculenter ostendunt Idiosyncrasia inesse faculta-  
tem diversimode efficiendi pharmacorum effectum. Sed  
ut ad rem proprius accedam, animus est omnium primo  
exempla ex Autoribus huc spectantia in medium proferre,  
& deinde eo quo fieri poterit studio causas eruere, quibus  
tot mirabiles & maxime obscuri Idiosyncrasia effectus ad-  
scribi possint.

§. XV.

Initium faciat celeberrimus *a)* BOYLE, qui domi-  
nam quandam mel ita abhorruisse refert, ut etiam ex ad-  
hibito ad vulnus pedis linimento cum melle factò pessime  
se habuerit. Simili id exemplo confirmat *b)* BONETVS,  
aliquem nempe fuisse qui assumto cochleari uno mellis un-  
dique intumuit. *c)* HENRICVS AB HEER Matronæ cu-  
jusdam meminit, quæ degustato sacharo similibusque dul-  
cibus dentium dolore afflicta fuit, imo ex aniso sacharo  
obducto dentium dolorem, maxillæque tumorem passa.  
Quosdam in medicamentis, rosas cinnamomum, aut auran-  
tiorum flores non tolerare posse testis est *d)* BARTHO-  
LINVS. Sic quoque de aqua rosarum, recenset *e)* DOE-  
RINGIVS. Ita nobilem Romanum sine periculo tertiana  
laborantem, ob propinatum syrup. ros. solutiv. a quo ab-  
horruit, extinctum narravit Horat. Augenius commemor-  
ante JOH. *f)* DOM. SALA, eademque fata mulieri in  
Batavia contigisse Autor est *g)* RHODIVS. Quendam  
porro

C 3

*a)* de util. phil. experiment. c. 16. p. 321. *b)* Med. sept.  
P. 11. p. 381. *c)* Obs. 29, p. 331. *d)* Hist. cent. III.  
hist. 28. *e)* de Medicina L II, p. 242. *f)* Art. med.  
c. 40. *g)* Rhodius Cent. 3, obs. 99.



porro percepto rosarum odore, aut iis ex longinquo visis, illico in animi deliquium & syncopen incidisse, & mortuum quasi humi prostratum jacuisse refert *b)* AMATVS LV-SITANVS. In alio, quoties florens rosetum intrasset, aut rosam recentem olfecisset, toties catharrum ad nares molestum observavit naturæ quidam curiosus. *i)* *Vid. Ephem. Nat. Cur.* Alii sternutationem ex rosarum odore contigisse asserit *k)* RHODIVS, alteri hæmorrhagiam narium concitasse refert *l)* ALEX. TASSONVS. *Acta m) Hafniensia* de cinnamomo affirmant, quosdam illud hostili odio ita persecutos fuisse, ut dapes aromate illo conditas ne degustare quidem ausi fuerint, esurituri potius quam attacturi. Ex esu corticum aurantiorum quendam semper colica affectum fuisse, ut & de alio sumto cibo macis floribus aromatizzato testantur *n)* *Epbemerides Nat. Cur.* *o)* MARANTHA recenset aliquem nullum obsonii genus asumere potuisse, quod tantillum saltem salis admixtum habuit. Multos etiam Butyrum non tolerare posse confirmat *p)* BARTHOLINVS, qui refert: quosdam saltem butyrum crudum repudiare, liquatum vero in cibis appetere; adducit præterea domesticum hujus aversationis exemplum ad nepotes translatum, quod nempe si vel vi vel blanditiis puerulis butyrum obrudatur, superveniant vomitus, anxietates, & narium hæmorrhagiæ. Huc quoque refertur quod BORELLVS *Cent. 4, Obs. 61. p. 320.* testatur de sene quodam, qui lac tanto persecutus est odio, ut nun-

*b)* Cent. II. Curat. 36. *i)* Dec. II. A. V. O. 22. *k)* Cent. 3, obs. 99. *l)* L. I. Meditat. c. 14. & ex eo Rhodius 1, c. *m)* A. 1673. p. 206. *n)* D. II. A. VIII. O. 169. *o)* L. 3. c. 13. p. 262. Meth. cognosc. simpl. *p)* Hist. Cent. III, hist. 28.




nunquam illud degustare voluerit, potueritque, nec in tenella sua ætate materno lacte usus, sed solis jusculis enutritus educatusque fuerit. Curiosum præterea est, quod q) HENR. AB HEER observavit, quandam nimirum aliò rarissime usam fuisse laxante medicamento, quam jure carnis bubulæ, eiusque solo odore, alvum sibi reddidisse laxiorem. Simile exemplum habent r) *Misc. Nat. Cur.* ubi alia assumtis jusculi carnis vitulinæ aliquot cochlearibus purgantem experta est effectum. Alium iterum ex duobus vitellis jusculo mixtis in alvi fluxum pervenisse testis est s) JOH. HEVRNIVS. De decocto salubri Caffée, quod hodie in deliciis habetur, etiam in consuetum observavit effectum t) BOYLE. Nimirum cuidam cyathus ordinarius decocto Caffée calido repletus & ante meridiem assumtus, octo decem & nonnunquam duodecim excitavit vomitus, maiori cum vehementia, quam ab infuso croci metallorum, vel ab alio emetico solet fieri, qui etiam in progressu odore ex ædibus venditorum Caffée percepto se male habuit.

§. XVI.

Pergimus exempla Autorum allegare cum tantis eorum numerus existeret, quæ mutatas per singularem Idiosyncrasiam remediorum operationes confirmant. Prodeant a) *Ephem. Nat. Cur.* ubi de absynthii una cum salis fixi a-  
 versatione observatio habetur. b) BONETVS memoriã prodidit, quandam nec tartarum ejusque sal cum crystallis, neque spiritum neque tincturam etiam inscie porrectam

- q) Obs. 29. p. 320. r) D. II, A. VIII. O. 169. s) de febribus c. 14. t) de util. phil. experim. c. 16. p. 321.  
 \*) Dec. I. Aph, 7, 8. Obs. 199. b) Med. Sept. P. II, pag. 385.



Etiam aliter tolerasse, quam sudore, angustiis, ac lipothymiis. Idem Autor etiam refert, quandam Ischuria laborantem accepisse a medico pulverem antispasmodico - diureticum ex cinnab. nat. lap. cancr. & sale vol. succini ana drachm. semis, & cum solutione Ischuriæ fuisse purgatam, eundemque pulverem hancce a medico acceptum non una vice pro purgandi intentione, successu non infelici sumfisse. Quandam opiata propter hæreditariam dispositionem a parente translata penitus non perferre potuisse testantur *c) Miscell. Nat. Curios. d) GARZ AS AB ORTA* confirmat contrario exemplo, quosdam ingenti opii dosis impune uti, & meminit cuiusdam Viri, qui singulis diebus tres opii laminas, decem drachmas & amplius pendentes comedit & tamen docte & apte de omnibus disputavit. Quendam porro hellebori totos manipulos sine noxa devorantem *e) THEOPHRASTVS* de hist. plant. alium scammonium idque ad drachmam unam atque alteram, imo unciam integram citra alvi laxationem ingerentii, *f) FALLOPIVS* recenset. *g) BONETVS* contra ex usu castanearum, ut & *b) PECHLINVS* de mespilis aliisque adstringentibus fructibus assumtis alvum quibusdam motam fuisse observarunt. *i) PANAROLVS* monialem ob assumtum sassafras ab imperioso Medico præscriptum, cuius odore tamen lædebatur, frigido sudore correptam, totam lividam repente factam, & fere morti proximam fuisse memoriæ prodidit. Simile exemplum de alio, qui lignum

*c) D. II. A. IV. Obs. 47. p. 100. d) Aromat. Ind. hist. l. i. c. 4. e) l. 9. c. 18. f) Tr. de simpl. purg. c. 48. g) Med. Sept. P. II. p. 385. b) Obs. 61. Lib. II. i) Pentec. V. Obs. 22. p. 158.*

gnum fassafraſas tolerare non potuit, habet *k*) HORSTIVS.  
*l*) Alius exodore liliorum in vomitum incidit. *m*) Quidam  
 vero flores calendulae, & generosa femina violarum odo-  
 rem abhorruerunt, uti teſtis eſt *n*) BARTHOLINVS.  
 Nonnulli *o*) mentham odio ita proſequuntur, ut odorem  
 praesentiamque ejus maxime averſentur, *p*) aliusque ejus  
 odore cephalalgia affectus fuit, & *q*) femina ejus fragran-  
 tiam ſudore colliquativo luit. Neque deſunt abſtemii a  
 vino, quemadmodum crebrius jam citata *r*) M. N. C. te-  
 ſtantur, de ancilla qua ſolo vini odore vomitu affecta fu-  
 it, ut & de *s*) juvene, qui ab ineunte aetate ne quidem vi-  
 ni odorem perferre, aut cibos cum vino coctos deguſtare  
 potuit. De ſpiritu *t*) vini obſervatum eſt, quendam eum  
 abhorruiffe, imo etiam omnium cum eodem praeparato-  
 rum medicamentorum odorem pariter ac ſaporem dete-  
 ſtatum fuiſſe. *u*) GREGORIVS HORSTIVS ex aceti  
 odore lipothymiam & ſyncopen ortum traxiſſe noravit, &  
*x*) PECHLINVS de femina refert, in qua minimus aceti  
 uſus haemorrhagiam provocavit.


### §. XVII.

Exemplis de diverſa peculiariſſime individuorum idio-  
 ſyncraſia diverſiſſimae medicamentorum operationis cauſa

D

ad-


- k*) Manud. ad Med. p. 122. *l*) M. N. C. D. III. A. 7. 8.  
 obf. 103. *m*) l. jam c. *n*) Hiſt. Cent. III. hiſt. 28.  
*o*) M. N. C. D. II. A. IV. obf. 51. *p*) D. III. A. 7. 8. Obf.  
 103. *q*) in App. ad Cent. I. II. p. 191. *r*) D. III. A. 7.  
 8. obf. 103. p. 171. *s*) D. II. A. 9. obf. 108. pag. 346.  
*t*) D. III. A. 2. obf. 78. p. 92. *u*) L. III. Epist. med. 193.  
*x*) Obf. 38, p. 515.



adductis, multis omissis quæ ex Autorum scriptis sed præter necessitatem adducere potuissem, operæ pretium omnino est, causas superaddere, quibus tam insolita effecta non sine sufficiente ratione adscribere possint. Fateor hocce causarum scrutinium difficile admodum opus esse, omni tamen allaborabo studio, ne pro evidentibus causis occultas secundum morem præcipue antiquorum, qui speculationibus inanibus unice intenti erant, proferam. Celebrerrimus ETTMULLERVS \*) putat, diversæ individuum Idiosyncrasie causas non tantum in crasi succorum sed etiam in partium mechanica conformatione consistere, eamque in singulis individuis quoad poros differre, genus vero nervosum ejusque majorem vel minorem sensibilitatem maximum esse Idiosyncrasiarum fundamentum asserit. Et huic sententiæ meum quoque addere symbolum nullus ambigo, plurima enim Idiosyncrasie effecta ex naturali & diversa in individuis generis nervosi constitutione deduci posse, firmiter mihi persuasum habeo. Si consideramus partes corporis humani nervosas, fluido illo subtilissimo activo nerveo quasi animatas, unde causa proxima omnium motuum microscopiorum ordinariorum & extraordinariorum; si examinamus maximum illum generis nervosi & motuum consensum, majorem & minorem sensibilitatem, non adeo arduum erit negotium uti alios, ita & idiosyncrasie insolitos explicare effectus. Ex nimia abhinc illa, multisque individuis particulari partium nervosarum sensibilitate, & ex illarum & motuum consensu non adeo mirum cuidam videre poterit, quosdam hoc vel illo objecto sensibus externis

\*) Operum T. II, P. II. p. 117, 118. edit. Francof. ad Mœnum in fol.

ternis percepto variis correptos fuisse symptomatibus, cum omnium illorum instrumentorum, quibus mediatis videmus, odorem percipimus &c. structura ex membranis nerveis, insignibusque nervorum propaginibus potissimum summo creatoris artificio constata sit, atque insuper rerum externarum eos magis vel minus affiendi facilis detur aditus. Porro experientia constat nonnullos ab illis, a quibus ex idiosyncrasia abhorrent, licet inscie assumtis, truculenta nihilominus perferre symptomata. Quis autem nescit ventriculum cum annexis intestinis esse nervosissimum, & in quo consensus maximus cum omnibus aliis corporis humani partibus observatur, ut hinc naturæ inimico in his partibus hærente motus facile conturbati resulerent, & nunc vomitus, diarrhoeæ, nunc syncope atque lipothymia aliaque multa progredientur mala. Præterea succorum crasin etiam quandoque aliquid conferre, facile quidem concedere possum siquidem in illis subiectis, qui a drasticis purgantibus, aliisque heroicis pharmacis ut opio, parum commoventur, humores tenaciores, bilemque non adeo fluidam, sed activitate debita destitutam secerni, maxime probabile est, eam quidem ob rationem, quia bilem humorem esse solventem ex physiologicis, & ingesta plurima in ventriculo hærentia non nocere, quæ vero simulac in intestinum duodenum, ubi bilis coniungitur, pervenerunt sua demum damna exferere, humorum insuper crassitiem & tenacitatem spicula acriorum corporum infringere & retundere, subtilesque narcoticorum particulas involvere, experientia constat. Nec a vero ab simile videtur, iisdem contra copiosam, fluidam, iusto acriorem & penetrantiorum obtigisse bilem, qui e. g. ab aliis adstringentibus &c. laxiorem experti



fuerunt alvum. Ad nativam porro nimium activæ indolis bilem, quoque referre potest, colicus ab esu corticum aurantiorum aliorumque aromaticorum excitatus affectus, quippe accessione calidorum penetrantia bilis augetur, ut deinde non possit non intestina acrius vellicare. Interea quamvis sic diversam humorum crasin, tanquam causam Idiosyncrasiarum esse agnoscendum videatur, ille tamen, qui accuratius paulisper perpendet omnes in corpore humano se- & excretiones humorum a diametro canaliculorum dependere, in naturali & peculiari partium solidarum structura maximum positum esse momentum, mecum consentiet. Tandem minime negandum esse contento, Phantasiæ parentum & præcipue matris utero gerentis imaginationi, & acceptis eo tempore obiectorum avervationibus &c. multum esse tribuendum, quippe hæc omnia tanquam causæ remotiores ad peculiarem ingenerandam foetui, ob teneras & mobiles admodum partes imprimis nervosas, Idiosyncrasiam aptissima sunt. Mirandam enim matri cum foetu esse partium harmoniam, & hinc resultare pariter insignem in utroque functionum conformitatem, certum est. Ex his itaque luculenter ut puto intelligimus, causam tam mirabilium effectuum in differenti corporum humanorum natura latere, nosque non opus habere, ut ad alia eademque falsa anxie confugiamus principia, quæ alios adducere scripta restantur. Interea non obliquo, omnes & singulos ex adductis causis Idiosyncrasia effectus explicare posse, dum multi adeo difficiles & obscuri sunt, ut præstantissimorum etiam Medicorum & physicorum ingenia superent.


§. XVIII.

## §. XVIII.

Hæc autem, quæ hucusque ex instituti ratione fusus pertractavimus, in pleniorum rerum medicarum nos deducunt cognitionem, quæ amplissimi & eximii est usus. Namque satis vidimus, quid illa differens & in multis individuis prorsus peculiaris Idiosyncrasia in varie modificanda medicaminum operatione valeat; ut exinde necessarius ille in praxi clinica maxime observandus Canon quam optime resultet: Naturam cujuslibet ægroti ante omnia a Medico accurate esse explorandam. Hippocrates & Celsus differentiam corporum pro primo artis Medicæ habuerunt fundamentum, & omnes qui in artis apollinæ exercitio cum judicio & salutariter versari gestiunt, eandem ambabus manibus amplectabuntur sententiam. Accuratio enim subjeti Cognitio, unice ad detegendam multorum morborum atque symptomatum mire sapiensculæ dissidentium rationem, felicemque inveniendam medendi methodum, viam sternit, ut & quibus remediis præservatio morborum instituenda sit, & quis rerum nonnaturalium usus huic vel illi individuo maxime competat, exinde quam facile patet. Ex sedula insuper & sollicita individuarum proprietatum observatione cognoscimus, multa in arte medica occurrere, ubi ab arte recedere ars est. Namque idiosyncrasia medelam sapissime dirigit & variat, illa interdum suadens, quæ vulgaris usus dissuadet, contra dissuadens, quæcunque usus apta judicavit; & prudentem obligat medicum, ut non raro spectatorem in morbis potius agat quam actorem, cum optima sæpenumero secundum etiam Hippocratis effatum; sit medicina, nulla uti. Præterea quicunque sollicitè Idiosyncrasiarum rationem habet, ille o-

D 3.

ptime



ptime morbos congruos & non congruos distinguere, & qui curabiles & non curabiles scire poterit, imo in nobilissima arte prædicendi felicius quam ullus alius insigne sibi comparabit Decus suamque amplificabit famam. Namque si quod naturale in ægroto deprehenderit, id etiam si per se malum sit, pro adeo malo recte non pronunciet; cum e. g. immoderatiorem quandoque in feminis mensium fluxum, copiosas alvi dejectiones & id genus plures excretiones inconsuetas tanquam malas velle exclamare, quæ tamen in salutem naturæ beneficio nocua & superflua removente fiunt, nihil aliud esset, quam artis nostræ destruere præstantiam. Non equidem negandum est, accuratam naturarum cognitionem poscere non solum exercitatum in arte virum, sed etiam magnam & operosam observationem, interea quires medicas cum judicio & conscientia tractat, ille omni allaborabit conatu relationes ad tot diversa individua probe intelligendi & inveniendi, id quod præcipui in medicina studii, Laboris atque momenti est, & inter ea jure referendum, quæ vulgus atque empirici non capiunt, ideoque Medicum prudentiorem quoque ab empirico distinguunt.


§. XIX.

Ille differens porro corporis humani indoles, qui tam differentis medicaminum operationis causa, admodum bene demonstrat, quam necessarium sit, ut in remediorum dispensatione valde cautus sit medicus, qui semper tutiori incedit via si lenioribus, quam pharmaceuticis activioribus sive sic dictis, heroicis medicamentis corpora humana excipit. Celeberrimus & in praxi exercitatissimus THONERVS *obs. suarum L. I. de feb. intermiss. p. 73.* id confirmat,



mat, ita scribens: oportet Medicum esse cautum in præscribendis remediis prius diligenter perscrutando cujusque naturam prout per vires humanas licet. Per fortiora autem medicamenta intelligimus, quæ parva dosi magnis agendi viribus instructa evacuandi & adstringendi, commovendi & sistendi, calefaciendi & refrigerandi, lenia contra ac debilia nuncupanda sunt galenica vulgo dicta, quæ non vi sed blande ac successive operationem suam exsequuntur, nec majori etiam dosi facile nocent. Et cum heroica hæc remedia tam adjuvandum quam nocendum parata esse tristis sæpenumero confirmet experientia, quæ sine dubio etiam fundamentum est, ut antiqui hancce legem artis jam agnoverint, & observaverint, uti testis est HIPPOCRATES *aph. 36. sect. II.* de fortibus exempli causa purgantibus hunc in modum dicens: *sana etiam corpora cito exsolvunt, multo magis senilia & imbecillia labefaciunt & detrimento maculant;* & CELSVS *Lib. V. c. 25.* ubi de anodynis monet: *non nisi nimia necessitas urgeat, ea esse usurpanda.* Idem iudicium esto, de aliis penetrantibus & activis medicamentis ut emeticis sudoriferis & diureticis, quibus applicatis damna ægrotantium non rato intenduntur, & oleum quasi igni admovetur. Legi hac dere meretur MEIBOMII *celebris Diss. de eximio leniorum medicam. usu,* ubi heroicorum pharmacorum noxam fusius demonstravit. Quam maxime itaque optandum esset, ut omnes, quibus medicamina facere & dispensare licitum est, eo omnes intenderent nervos, ne improvida tam heroicorum quam illorum remediorum, a quibus ex Idiosyncrasia quadam individua abhorrent applicatione miseris ægris morborum symptomata augeant, suæque conscientiæ præbeant offendiculum, modo illud probe considerantes, quod

de



de humano ludatur corio. Quare felicem illum non immerito appello Medicum, qui semper caute procedendo cum felicissimo SYLVIO, nunquam hypercatharsin movisse se gloriari potest. Et quamvis minime negandum sit excauta & conscientiosa paucorum Medicorum medendi methodo insignia prorsus in genus humanum redundare beneficia; interea vehementer dolendum est, plurimos ægrotos ex perversa empiricorum, agyrtarium, balneatorum, & id genus medicastrosum cura, in majus adhuc incidere periculum. WILLISIVS itaque *Pharnacevt. rat. P. I.* non sine ratione sollicitè monet: ut quisquis vivere & sanitatem retinere cupit, empiricos cum suis ut plurimum mercurio, elaterio, similibusque paratis drastis canepejus & angue devitet. Verum nemo putet, acsi omnia activioris indolis rejicerem pharmaca; juxta enim COI regulam in robustis subiectis fortioribus utendum est. Nec desunt, qui e. g. strictam nimis vel immorigeram habent alvum, in quibus passulatis & tamarindinatis parum aut nihil efficiemus, ubi jure helleborata & id genus validiora in usum vocare, consultum erit. Præterea difficiles sæpenumero præctis accidere possunt casus, ubi periculum in mora, & morborum causa quasi vi & aggrèdienda & exterminanda est, convenit tamen ubique, si lenioribus securis & naturæ amicis pharmacis atrociam non cedant symptomata, activiora parva & repetita potius dosi ægris porrigere, & ut semper accuratum præsto sit Medici judicium.

§. XX.

Et hæc sufficiant, quæ breviter de differenti corporis humani idiosyncrasia, differentis medicamentorum ope-

operationis causa, commentari animus fuit. Poruissem equidem varia alia ad hanc rem spectantia in medium proferre, & potissimum illum multorum medentium exprobare errorem, qui nulla habita subiectorum ratione, morbos semper eadem ipsis semel edocta & consueta medendi methodo excipiunt, non observantes symptomata morbi eiusque decursum atque rem ediorum alias non inutilium operationes pro differenti ægrotantium natura variare. Accedit quosdam ægrotos ex Idiosyncrasia nonnulla non tolerare posse medicamina, quæ adeo ab imperioso medico exhibita, non possunt non maxime nocere, imo quandoque ipsum mortis inferre periculum. Absit igitur a medico semper naturæ agere velle Directorem, cum ut plurimum ipsi incumbat Ministerium audire, eiusque naturæ tanquam optimæ morborum medicatrici ductum sequi, si in artis exercitio felici versare cupit successu. Ne autem propositos nostra Dissertatio excederet cancellos, ultro alia omittere volui. Sed quemadmodum secundum haud incongruum proverbium tandem omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est; abhinc me optimum huic labori finem imponere existimaverim, si TIBI SVMMVM NVMEN ex intimis cordis penetralibus sinceram fundam gratias, quod non solum inter diversas fortunæ turbas mea studia medica tam clementissime dirigere, sed & insuper mihi variis hucusque morbi insultibus confidanti eas tamen ingenii vires concedere volueris, publicum hocce quæsecunque licet maxime properatum studiorum meorum producendi specimen; cui *prepotenti DEO* & impotenti mea studia, labores futuros practicos, animi corporisque salutem atque fortunam meam supplex commendatam rogo.

E

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.


**Q**uam mea censura subiecti erudite per-  
scriptam inauguralem disputationem  
TIBI jam reddo, sine litura, sine ul-  
la interpunctione; quamvis ad illu-  
strandam prænobilis argumenti tractationem, plu-  
ra ex observationibus clinicis petita adjicere po-  
tuissem, perspexi autem ex ejus perlectione TE,  
non ex omni parte neglecta vel posthabita anima  
humana vi ac potentia in corpus viruum, que  
omnino

annino in doctrina Medica asserenda est walde in-  
berere principiis mechanicis evidentibus atque  
ad praxin rationalem stabiliendam maximi usus;  
quorum summa hæc est: ut Medicus perquam  
idoneis remediis motus machine vitales tam so-  
lidorum quam fluidorum in temperato moderato  
ac æquabili statu justaque proportionè conservet  
vel si declinent in ordinem reducat. Et qui hæc  
optime perficere tallet, is merito præstantissimus  
habendus est Medicus. Præterea ex eruditionis  
TVÆ specimine paulo plenius cognovi, TE, non  
vulgaribus dotibus a vi nature insita esse imbu-  
tum: qua, uti scite loquitur HIPPOCRATES  
lib. de decenti ornatu §. 3. in artibus princi-  
palissimum, adeo ut ubi adfuerit, per omnia pe-  
netrare possit. Nam sicut secundum THEOCLI-  
TIS sententiam, e squilla non nascitur rosa,  
nec ex tribulis ficus, vel e sentibus uva sed in-  
tellectus natura gignitur non arte paratur: ita  
a beato Parente Medico erudito & celeberrimi  
nominis, & felix ingenium & viridam mentis  
aciem atque insigne ad virtutem calcar heredi-  
tario quasi jure nactus es. Quas insignes do-  
tes quum virtutum & sapientiæ præceptis haud  
perfunctorie perfeceris, nemo sane mirabitur,  
TE,

TE, pra multis aliis ad scientia Medica penetralia brevi tempore fuisse admissum. TVÆ igitur industria parata premia meritissima ex animo gratulor, & ut TVOS arduos labores & ausus in communem miserorum egrotantium salutem vergentes, uberrima benedictione SVM-MVM NVMEN beet fecundet, atque fortunet, ex sincero animi pectore opto. voveoque.

Vale. Dab. Hale d. XXV. Jun.

M D CC XXXI.



✓  
Ul 923 ✓

ULB Halle  
004 179 358

3




TA 7 OL  
SB

Rebn ✓

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle/Saale  
Thüringer Straße 24









UNIVERSALIS MEDICA

DE  
**PHI MEDICA**  
 OPERATIONE SE  
 RSAM CORPORIS  
 IDIOSYN  
 SIAM

AM  
 S DIVINIS  
 SIDE

**JOHANNES HOFFMANN**  
 SENIORE & h. t.  
 CANO

**PHILOSOPHIAE GRADVS**  
 Anno MDCCXXXI.

TANDVM PROPONET  
 RESPONSVRVS  
**JOHANNES NIMPTSCH**  
 SILES.

—————  
 GDEBVRGICÆ  
 I HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

